

(1891) S. 109–133, hier S. 132; PALLENBERG, Crociata (wie Anm. 9) S. 134, 141–151.

85) Richeri Gesta (wie Anm. 16) S. 301,20–40: *tanta agmina puerorum utriusque sexus ex diversis regionibus, nescio qua arte, collecta sunt, ut in unum conglobati innumerabilis fieret exercitus [...], dicentes, se transfretare debere, et terram sanctam sicut filii Israel ex Egypto exeuntes terram illam obtinuerunt, ita et ipsi eam sorte possiderent; in qua vero civitate vel terra veniebant, habitatores illarum quasi pusillos et orfanos, sicuti erant, pro deo suscipiebant et eis alimenta ministrabant et ita eos dimittebant; illi vero Alpes transeuntes Langobardiam intraverunt; et per maritimas civitates Ianuam scilicet et Pisam et alias in hora maris sitas se dispergentes, credebant naves ad transfretandum invenire; et non invenerunt; due tamen naves ex ipsis honerate in mare se miserunt; sed adhuc ignoratur, si portum obtinuerunt, vel ad quas regiones delati sunt; alii vero, qui remanserunt, ad tantam penuriam devenerunt, ut non ipsos quis hospicio reciperet; ut de ipsis illud Ieremie dici posset, 'Parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret illis'; unde per vicos et plateas maxima pars ipsorum fame mortua iacebat, nec erat etiam, qui sepeliret; et sic vere illa parva gens illis magnis innocentibus, qui pro Christo occisi sunt, comparari creditur; quia et ipsa in tam tenera etate labores imensos et mortem famis, que crudelior est gladio, subire meruit; unde Ieremias, 'Melius fuit occisis gladio quam interfectis fame'; et vere melius, quia gladius solo ictu occidit, fames vero diu cruciatum interficit; ceteri quoque, qui sanioris mentis et etatis erant, per regiones Ytalie et Tuscie dispersi ad serviendum gentibus illius terre vel ad laborandum se contulerunt; talis enim illius facti finis fuit; nec adhuc potest inveniri, quid tam inauditum factum portenderet; et eodem tempore ordo predicatorum et fratrum minorum inchoatus est. JANSSENS, Etienne (wie Anm. 84) S. 128 f.; ALPHANDÉRY, Chrétienté (wie Anm. 55) S. 128. – Chronicon Laudunense (wie Anm. 7) S. 70 f.: Stephanus quidam puer officio pastor ex villa nomine Cloies iuxta castrum Vindocinum dicebat, dominum sibi in specie peregrini pauperis apparuisse et ab eo panem accepisse eique literas regi Francorum deferendas tradidisse; hic cum venisset cum coevis suis pastoribus, convenerunt ad eum ex diversis partibus Galliarum fere 30000 [...] apud sanctum Dionisium [...]; tandem rex consultis magistris Parisiensibus super puerorum congregacione, ex eius precepto reversi sunt in sua; sicque puerilis illa devotio sicut fuit de facili incoata, ita fuit de facili terminata; videbatur vero multis, quod per huiusmodi innocentes spontanee congregatos dominus factururus esset aliquid magnum et novum super terram, quod longe aliter provenit. – Chronica Alberici (wie Anm. 8) S. 893,29–894,2: *expeditio infantium satis miraculose undique convenientium facta est hoc anno; primo venerunt a partibus castri Vindocini Parisius; qui cum essent circiter 30000, Massiliam quasi mare contra Sarracenos transituri pervenerunt; ribaldi vero ipsis associati et mali homines ita totum exercitum infece- runt, quod quibusdam pereuntibus in mari, quibusdam venundatis, pauci de tanta multitudine sunt reversi; de illis tamen, quicunque inde evaserunt, dedit papa preceptum, ut cum ad etatem pervenerunt, tanquam cruce signati mare transirent; itaque traditores istorum infantium dicuntur fuisse Hugo Ferreus et Guilelmus Porcus mercatores Massilienses; qui [...] promiserant causa dei absque pretio eos conducere ultra mare; et impleverunt ex eis septem naves magnas; cumque venissent ad duas dietas in mari ad insulam sancti Petri ad rupem, que dicitur Reclusi, orta tempestate due naves perierunt, et omnes infantes de illis duabus navibus submersi**